

Epistola

quippiam in ea est, illud totū in diuinorum operū contemplatione & admiratione repositum est. Quæ ambo cum Astrologia complectas-
tur, meritò totam etiam humanam felicitatem illam complecti necel-
se est. Nec minus in aduersis hos hæc æternitatis contemplatio con-
firmat, cum breuem transitum huius onerosi æui consideramus, & fati
necessitatem impositam, quæ eo est leuior, quo paulatim meditatione
assidua mitescit, & quasi sit familiaris. Iam uero hæc mittamus & ad hu-
manum commodum sermo conuertatur. Quid utilius esse potest, quā
scire futura? quid iucundius, quā diuinitatis alicuius hac in parte par-
ticipem esse? Quid nam Astrologus bonus aliud est, quā consiliorum
quæ in cœlo fiunt particeps? Et ut ille dicebat:

Ilic astra, polos, cœlum, septemq; Planetas,
Consulit Astrologia, terrisq; reportat eorum.
Consilium, armans illas firmansq; caduca,
Contra cœlestes iras superumq; furorem.

Sed ut in omni disciplina nobiliore semper uitia maiora contingunt,
alia quidem per eos, qui cum eam non norint se scire iactant, alia per
eos, qui sciunt, sed malè utuntur, ita in hanc ut nobilissimam etiā pes-
simā uitia, & innumerabilis turba nebulonum se coniecit. Qui ita ar-
tem fœdarunt ac conspurcarunt, ut ne quidem uestigium illius supers-
fuerit. Tot Albumasares, Abenrageles, Alchabitios, Abubatres, Za-
heles, Messahalacos, Bethenes, Firmicos, Bonatos boni genij, quid
iam superest, aut reliquū est à tot impostoribus: à tot nugis: Id factum
est cum ars hæc esset, ut quilibet perspicere potest, tanto difficilior,
quantò diuinior: imperiti illi simularunt, quod assequi non poterant,
in compendium uelle redigere. Itaq; cum quæstus causa omnes ad il-
los recurrerent, miserta humani generis Diuina bonitas Ptolemæum
unum nobis pro tot millibus sycophantarum largita est. Qui artem
in tenebris iacentem extulit, & in lucem traduxit. Dignus sanè Hercu-
leis honoribus atq; aliquāto etiam maioribus. Is mira arte, summa di-
ligentia, maximis laboribus, magna fretus felicitate ac uitæ diuturni-
tate, non solum errantium & inerrantium syderum cursus, magnitudi-
nes, aliosq; illorum affectus descripsit, sed & illorum decreta, ac præ-
sagia tanta ingenij subtilitate, ut mortales omnes ab arte ipsa abster-
ruerit, neminem accenderit. Quo factum est ut rursus turba hæc nebu-
lonum surrexerit, ipsa disciplina cum Ptolemæi libro iacuerit squalo-
re, & situ fœdata. Non id fallebat Ptolemæum futurum, sed maluit ue-
ritatem obscurè, quam mendacia ac fabulas dilucidè, scribere: sperās
futurum tandem aliquem, qui sua hæc monumenta posset explicare:
Iacuit itaq; liber hic annis mille, quadragecentis ita abiectus, ut nisi nos-
men authoris illum defendisset, maxima cum iactura bonarum litera-
rum